

mino. Item quū rursus David reprehēdit qui in sua virtute confidunt, Psal. 49. a. 7: sponte cæcutiendum erit, vt credamus esse antithesin inter Deum viuum & Gentium idola. Quare hoc? Quia fiduciam nostram censores in tria membra discerpunt. Nam volunt nos partim meritis nostris, partim Sanctorum patrocinijs confidere. Omitto, quàm alienū sit à Dei verbo hoc commentum. Hoc dico, neminem ex vetustis Ecclesiæ doctōribus esse, qui in meritis nostris & Sanctorum patrocinijs vel minimum fiduciæ statuatur.

2. Theß. 3. b. 6.

Artic 59.

*Annotatio,* In eos qui non laborant manibus. In Bibliis 1532. 1534. 1540. 1546. Et ex Indicibus 1528. 1532. 1540. 1546, Laboribus propriis vult Deus nos viuere, eosque aliis impertiri, Prouer. 5. c. 16. Ab eo qui manibus laborare non vult, sed ex aliorum labore viuere, subtrahamus nos ipsos. 2. Theß. 3. b. 8. Manducare panem gratis & sine labore manuum noluit Paulus.

*Censura,* Hæ quatuor annotationes sapiunt hæresim Vviclefuitarum & recen.